UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur, quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto, pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta, discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CLXXV. Differentia 46. Secundùm in criminalibus absens condemnari potest post litem contestam, liquet de causa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61864

Visual Library

ratorum conſilia quicquam agere. Item *Or. pro A. Cæcinna*, ne privatam quidem rem ſine auctore feminas agere maiores noſtri permiſerunt. Multò magis igitur a ſceptris removendæ ſunt. Non inficiabor tamen plures ingenio, & virtute præcellentes regnis præfuiſſe, quod ſacræ & prophanæ hiſtoriæ teſtantur. *v. Tholoſ. De rep. l. 7. c. 11 Lipſium in Monit. polit. l. 2. c. 2. Adamum Contzen. l. 1. Polit. c. 26.*

CLXXV.

DIFFERENTIA 46.

Secundùm Canones in criminalibus abſens condemnari poteſt poſt litem conteſtatam, cùm liquet de cauſa. *Gloſſ. in c. Caveant. 3. Q. 9.* Secus Iure civili. *l. Abſentem ff. De pœn. to. tt. De requir. reiſ. Io. Bapt. à S. Blaſio. 62. Bartol. 8.*

I. IN *c. Caveant.* & ſequentibus aliquot nihil magis inculcatur, quàm contra abſentem non eſſe procedendum, ut mirari liceat, cur diſſidere Jus Canonicum à civili dicat *Bartol & Io. Bapt. à S. Blaſio.* Quòd ſi ad exceptiones confugiunt, utrobique reperient, ceſſabitque legum, & Canonum diſſonantia. Illud tamen *Gloſſa in c. Caveant*, aſſerit, videri ſufficere, ſi abſens diligenter ſit requiſitus, ad hoc, ut ferri queat ſententia, licet non ſit inventus *c. Cauſam. De dolo & contum. c. Ex tua. De cler. non reſidente. l. properandum §. & ſi quidem. C. de ind. Vbi Gottifr.* Hic erat mos judiciorum, ut ſi litem cœptam pars vna deſeruiſſet, altera poſtularet adverſus illam edictum primum, quod obtentum condicebatur abſenti, dato ei termino decem dierum. Eo non comparente ſecundum edictum petebatur, quod mox eidem abſenti denuntiabatur, additis rurſum decem diebus. Eo iterum non comparente tertium edictum fiebat, & mittebatur eidem addito decendio. Non comparente illo addebatur quartum & peremptorium. Interdum tamen omiſſo quarto edicto abſens condemnabatur.

II. Et *Gordianus Imperator l. 2. C. Quom & quando iudex ſent. proferre debeat.* Ceſſante cauſa peremptorij edicti adverſum eos, qui admoniti adeſſe iudicio noluerunt, ſententiam à Judice proferri poſſe certum eſt. *v. Vanſium de nullit. §. Ex defectu mand. compar. Ignat. Lopez in Pract. crim. c. 153. num. 1. Andr. Gaill l. 1. obſ* 109. Vbi docet, regulariter partes ad audiendam ſententiam citandos eſſe. Partes autem præſentes ſunt verè, vel per interpretationem, puta, cùm quis verè aut fictè contumax eſt. *l. In cauſæ cognitione. ff. De minor. 25. annis.* Explicatius *Greg. Tholoſ. l. 32. c. 24 n 10.* Propter abſentiam contumacem ſolennibus edictis vocatus, quando non comparuit, damnatur, & per ſententiam in eum ex more judiciorum privatorum irrogantur pœnæ in abſentem pecuniariæ, & infamiæ, & aliæ uſque ad relegationem. Eadé *Farinacius l. 1. Q. 11.* qui addit à communi legum præſcripto Jus Canonicum excepi & plenitudinem poteſtatis, quæ eſt in ſummo Pontifice.

TITV-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN